

Disputatio medica inauguralis de haemorrhagia narium / [Georg Brasch].

Contributors

Brasch, Georg, active 1680.
Pechlin, Johann Nicolas, 1646-1706.
Universität Kiel.

Publication/Creation

Kilonii : Literis Joach. Reumanni, 1680.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zmystgh9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

18
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HÆMORRHAGIA
NARIUM,

Quam
Auspiciis DEI O. M.
Consensu & Auctoritate
FACULTATIS MEDICÆ,
Pro summis in MEDICINA honoribus,
& gradu Doctoratus,
rite & solenniter consequendis,

PRÆSIDE
JOH. NICOLAO PECHLINO,
Med. Doct. & Instit. Med. Prof. Ord.
publicè examinandam proponit

GEORGIUS BRASCHIUS,
Luneburg.

Præcticus Boitzenburgensis,
Die 21. & 22. Junij, horis ante Meridiem,
In Auditorio Majore.

KILONI,
Literis Joach. Reumanni, Acad. Typogr.
A. O. R. cl b c LXXX.



VIRO
PL. REVERENDO ET CLA-
RISSIMO,
DN. M. HENRICO
BRASCHIO,
LUNEBURGIAD S. NICOLAI
SACRAM ADEM
PASTORI PRIMARIO,
PARENTI LONGE OPTIMO,
SACRUM.

GEORGIUS BRASCHIUS.

3.
DISPUTATIO

de

HÆMORRHAGIA NARIUM.

ARTICULUS. I.

Sanguinem, vitæ pignus & depositum, Natura tam curiose finibus suis circumscripsit, ut, licet ad omnes partes partiumque particulas & ultimam corporis superficiem propellatur, nullibi tamen reperiatur, quâ emanet. Neque cuticula duntaxat aut succingens membrana orificia passim occulit Capillarium, si quæ sunt, sed ipsa vascula, dum flexibus tantum non infinitis mutuò se excipiunt, expresso in diversa liquore, illum ad latera exeundi conatum densitate suâ pulchrè coercent. Vidimus detractâ cuticulâ nudos jam & expositos ad Microscopium Capillarium miliones non sanguinem, sed nescio quid serosi laticis, sudare: & tamen, ubi necessitas postulat, quâ minimè evasurum sanguinem credas, invenit Natura fluendi opportunitatem, ruptisque aut dilatatis operculis onerosam & gravem partem dimittit. Neque hæc Naturæ tantum vis est, sed & Morbi vias illas à Naturâ velut digito monstratas propere sectantis, eo tamen discrimine, quòd altera ad salutem, altera ad interitum contentio sit. At cum nullâ parte familiaris

miliarius sanguinem fluere constat, quàm à naribus, eum potissimum fluxum, quem Medici symptomaticum vocant, & morbo debetur, deducendum mihi sumsi, titulo Hæmorrhagiæ Narium.

ART. II.

Cur autem eâ ut plurimum parte sanguinis fiat excretio, haud facilè aliam reperio causam, quàm quod vascula, quæ sanguinem vehunt nasalem, & copiosiora sint, & superficiei, quàm alia quæque, propiora: Certè mirabili Capillarium plexu partem istam perfundi, ille mediastini internæque superficiei rubor indicio est. An fortè etiam peculiaris & in hoc facta dispositio in ultimis adsit venarum finibus, considerent, quibus & ocium est & subtiliora pervidendi occasio. Notandum deinde, cum Cerebrum plerumque per nares evacuetur, ejus hîc quoque partes esse aliquas. Nimirum, Sanguis, qui in cerebrum influit copiosus & volatilis, mox tamen iterum parte sui floridissimâ orbandus, cum motu musculorum compressivo non adjuvetur, facilè moram nectit in capillaribus corticem cerebri & membranas perambulantibus, neque ante propellitur, quàm laxato per Hæmorrhagiam aut artificialem evacuationem spatium, in Sinus admissus proclivi in Iugulares fluxu descendat. Est quidem, fateor, aliquis etiam in Cerebro & membranarum motus ab Arteriarum systole, verum is sanguini per minima propellendo non semper sufficere videtur. Pleura, ut est quoque tunica vasculis refertissima, continuo pectoris musculorumque intercostalium motu sanguinem per Capillaria transmittit. Venter *αὐτός* totusque musculosus Peritonæi quoque sanguinem alternis fibrarum motricum sive tumoribus seu crispationibus feliciter propellit. De vi-

sce.

ceribus autem mora non est, cum alia gaudeant motu, ut Cor, Pulmones, visceraque tunica carneâ donata, alia vasculis majoribus sanguinem accipiant, & à fonte calidum, ut Hepar, Lien, &c. In solo Cerebro, etsi aliquis ab Arteriis sit notus, & is nonnihil sanguinem promoveat, tamen, quod per Centrum medullare perque Corticem tot anfractibus deduci debeat, proportionem minor esse videtur, quam ut sanguinem vel lentum aut copiam turgentem, nam & fluidi aliquis ad solidum respectus est, sine noxâ promoveat. Atque ideo necesse est sanguinem in Capillaribus vel tardius moveri aut penitus obstrui, tandem etiam datâ occasione in superficiem Nasi internam exponi, cum in anteriore Cavitate parte, cui ut plurimum dolores incumbunt, alius opportunior locus non sit.

ART. III.

Nunc etiam de vasculis concertatio est, quæ & qualia sita sint: utrum Venæ an Arteriæ? Atque in hanc rem argumento quidam usi sunt fallacissimo, dicunt enim, illum, qui subito & velut pulsus fluit, Arteriarum esse, qui lentè & pausatim, Venarum: Ego autem non vasculorum, sed fluidi ingenio, celeritatem imputandam esse reor: namque in superficie corporis & extremis Capillaribus una fluidorum est ratio, neque in Arteriis pulsum magis quam in Venis offendas, per tot enim flexus angulosque infractus pridem defuit, non nisi ad copiam aut æstum inflammati sanguinis revocandus. Et ne in Tunicarum quoque diversitate sit refugium, sciaturque, quàm se Natura minimis accommodaverit, Arteriæ, ubi in superficiem & texturam solidi erepunt, unâ se tunica exuunt, Venisque similes incedunt, nisi dicendum sit, jam tum Arteriæ perdidisse naturam, ubi & tuni-

câ & pulsu exciderunt. Itaque Arteriolas hâc notâ distinguerè à Venis soleo, quod illæ sanguinem vehant ad partem nutriendi causâ hæ revehant, solum adeoque motus terminum esse, qui Arteriarum fines Venularumque constituat initia. Cum autem sanguis in Arteriis, dum rore nutricao animatur, fervidior sit, & ex majoribus vasculis in minima & capillaria deferatur, in Venis contra languidior sit & è Capillarium veluti conis in truncorum bases prorepat, verosimilius est, qui Naturâ aut morbi vitio destillat, sanguinem arteriosum esse quàm venosum. Cujus rei id quoque argumentum esse puto, quod vel vulgi confessione, sanguis, qui naribus prorumpit, floridus plerumque sit & tenuis, contrâ quàm est, qui è Venis missione educitur. Quominus credere habeam, à Sinu longitudinali, etsi falcis acumen proximè ossi Ethmœidi impendere videatur, aut externæ Jugularis capillaribus sanguinem, illum narium effluere. Profecto Arteriolæ sunt, quæ à Carotide tum internâ tum externâ in septum & alas narium dispersæ æstuosi sanguinis impetum accipiunt & vellicatæ exonerant.

ART. IV.

De modo aperturæ vasorum major adhuc est difficultas, si Naturam attendis, sin scholarum & vulgi logos, jam nihil expeditius; tribus enim verbis omnia conficiunt. Est nempe Anastomôsis, Diærêsis, Diapedêsis: è quibus una si explanationi non sufficiat, iunctim omnes in subsidium vocantur, & promiscuè modò huic modò illi speciei noxa adscribitur. Notum aliàs, quibus signis invicem discernantur. De Anastomôsi quidem somnium esse puto quod ajunt; cum enim dilatatio sit osculi antè facti, non video fieri ibi eam posse, ubi nec exquisitissima, nec armata acies vestigium unquam
ejus

ejus deprehendit. Et verò, si certum est, sanguinem ex
 canali in canalem, Anastomôsi vaginali (repulso per latera
 contiguorum parietum aut rarioris tunicæ poros succo nutri-
 cio) transire, non video, quid isthoc sit osculi superficialis,
 quo sanguis efferre se totum possit. Et ut vascula sanguinea
 aliquâ sui parte hient, imponitur tamen cuticula, quæ vel una
 umpi debet, antequam sanguis osculis suis emissus in
 ucem prædeat. Igitur, nisi quis partes illas, Nares, Pudenda,
 Anum, osculis istis notatas ostendere curioso visui possit,
 egrè adducor ut credam Anastomôsi illas excretiones fieri.
 De Diærêsi autem hoc minus laboro, quòd non vis tantum ex-
 erna, sed & sanguinis tum copia, tum rarefactio, tum im-
 petus motu musculorum compressivo adauctus, solvere
 Capillarium cuticulæque contextum possint. Equidem
 ternutamento sæpe solo, ut est vis illa non exigua, eliso
 per validam Diaphragmatis convulsionem in caput sanguine,
 hæmorrhagia excitatur. Quin etiam sanguis, suspenso
 ictoris motu animæque repressâ, in capite detentus, mole
 andem suâ vique tensivâ, narium vascula perumpit
 otius quàm aperit. At cum veteres quoque inter
 lethoræ accidentia vasorum numeraverint rupturam,
 tiam majorum, miror cur in minimis, quorum textura est
 elicatior, Anastomôsin audire maluerint. De Diabrosi verò,
 elut specie quadam lentæ ruptionis, censendum est, familiari-
 seam evenire quam vulgò putant; quando sanguinis acri-
 monia & quotidiana est, & capillarium imprimis umbris di-
 um an lineis infesta. In Diapedêsi frustra se fatigant, qui
 per poros eam vasculorum laterales deducunt; quoniam pro-
 portio pororum non est talis, neque in Capillaribus nec Cu-
 nec Cuticula, ut sanguinem transmittere purum possint:
 quod

quod autem vulgò à superficie corporis manasse creditur
tinctura est sanguinis, ichoris specie, per glandulas cuti-
adaacti.

ART. V.

De causâ Hæmorrhagiæ proximâ id quidem arbitrandum
est, plerumque eam in fluido esse, non Facultate aliquâ ir-
tatâ; quæ enim de istâ Sophistica declamatione veteres
ἀπειρίαν sapiunt. Sanguis est, qui, si vim exceperis, sol-
dorum diruat contextum, sed non uno modo affectus: Quæ
enim ruptione solvuntur vascula, vel Copiâ, aut Rarefactio-
ne, aut Compressivo sanguinis Motu solvuntur; quæ Rosio-
ne, spiculatam agnoscunt fluidi acrimoniam. De Copiâ
autem id sentio, nisi vis accedat tensiva, haud facilè eam va-
penetrare. Motus autem rarefactionis, etiam cum Plethoriâ
non est, capillaria perrumpere potest; etsi enim spatio & mo-
le quantitativâ minor est sanguis rarefactus, virtute tamen
& motus efficacîâ copioso quoque est major. Vidimus sol-
dissima, etiam utres coriaceos, quò affinior sit similitudo
ab effervescenti fluido dirumpi; ne quis iam dubitet idem
Capillaribus & araneatis vasculis à sanguine, spirituofo & vo-
latili fluido, evenire posse. Adeo etiam Hæmorrhagiæ, quæ
à rarefactione est, majus est periculum, quàm quæ à copiâ.
Si à Motu sanguinis Compressivo oritur excretio, est quidem
cæteris modus violentior, quòd solida & universum systema
musculosum fluidi impetum adaugeant, sed mox cum Natura
redit in gratiam. Sanè in quavis corporis contentione
ne, ubi Respirationis usus est, Diaphragmatis musculorum
que omnium contractione sanguis in eas partes exprimitur
quæ minus habent motus, inde etiam in Cerebrum vicinasque
ei partes, tum maximè eas, quæ texturæ exilitate vici-
lent

into impulsui resistere nequeunt, sed usque vexata rum-
 untur; ut sunt Narium capillares, tenues oppidò & velut
κενθισμοί, aut linearum umbræ. Rosio, quæ & ipsa non
 frequens, acrimoniam agnoscit modò falsam lixivam,
 nunc acidam acrem, nunc muriaticam: quæ omnia rigi-
 s & acutis spiculis modò citiùs, nunc tardiùs, substan-
 am solidi erodunt viamque sternunt effluxui. Primùm
 uidem à Bile volatili & Alcalina, accedente sanguinis te-
 nitate, facile perfodiuntur Arteriolarum parietes sanguisque
 eno flumine mittitur: estq; hoc symptoma in continuis
 ebribus non infrequens, in benignis quidem innoxium,
 malignis autem plerumque cum gravi periculo conjun-
 um; est enim indicium sanguinis nimium quantum tenuis
 alcalisati. Acida acrimonia, quæ Melancholicorum
 guinem occupavit, & ipsa subinde perditæ Hæmorrha-
 e causa est; nam, præterquam quòd spiculis infestioribus
 turam solidi aggrediatur, alcalique volatile plerarumque
 rtium vinculum depopuletur, etiam naturâ suâ conso-
 ationem abnuit: atque hæc species, ut rarior est cate-
 , ita, cum evenit, curatu difficilior; ut exemplo Sacer-
 tis apud Hildanum Cent. vi. Hist. LXXVII. constare potest.
 deinde medium acrimoniæ genus, utriusque naturæ par-
 eps, verbo, muriaticum, quo Sanguis plerumque in Ca-
 exiâ Scorbuticâ acuitur; cujus etiam vis, ut à Lixivi aut
 is Acidi naturâ propius abest, diversa est; nunc enim san-
 is ferofus est, volatilis & muriaticus, nunc fixus vapido-
 e phlegmate delibutus, nunc acido fermento conspectior;
 æ inde etiam symptomatum faciem & periculum mu-
 nt floris.

ART. VI.

Verum, uti his proximè affectus excitatur, ita alia sunt, quæ è longinquo accedunt causasque illas foveant, Res, nempe, cum Naturales tum non Naturales. De Temperamento aut constitutione corporis salva res est; in univ-
 sum autem, qui temperie sunt biliosâ fluidâ aut serosâ vo-
 latili, Hæmorrhagiæ magis obnoxii sunt, quàm ulli alii. De Ætate hoc quoque censendum Juvenum hunc morbum esse, imprimis tum, quando Natura Virum parturit, atque illam ἐπ' ἀκρῶ δέξιαν fermenti seminalis vigor appetitusque non mediocris acuunt, olim morbo aut Hæmorrhagiâ ex-
 piandam. Senes autem, quòd jam potissimam vitæ par-
 tem superaverint, absumto fluido sicciores sopitâque fer-
 mentatione, minus habent, quod ab Hæmorrhagiâ metu-
 ant. In Sexu id quoque notandum, Viris Hæmorrha-
 giam narium frequentius evenire, quàm Fœminis; his e-
 nim sanguinis menstrui deliquio impetum illum in nares
 averti. Extant tamen observata, quibus Hæmorrhagiæ
 enormes in illo sexu, etiam salvo menstruo tributo, acci-
 derint. Videre hoc licet apud Forestum lib. XIII observ.
 Cap x. Opinor autem nasales Arteriolas paulò esse compa-
 ctiores in fœminis, quàm ut statim ad mensium suppressio-
 nem, utut toto capite ferveat detonetque sanguis, ape-
 riantur; notum enim in quanta damna sufflaminato hoc
 tributo juvenulæ recidant, & nisi per ipsas illas, per alias
 & insuetas vias, Pulmones, Ventriculum, Alvum, ex-
 ternas etiam partes, intactis plerumque naribus, purgen-
 tur. Rerum non-Naturalium vis nunc etiam manifestior;
 nam quid aër possit siccus & calidus, in illâ Hæmorrhagiâ
 apparet,

apparet, quæ à calore Sanguinis rarefactivo ortum habet; multum enim periculo adjicitur, si dio expositum caput radios excepit solares, & igneo elatere turgidus Sanguis Nasi perrupit Capillaria; atque ejus rei exemplum in Ephe-meridib. Germanorum descriptum video. Quis vero dubitet, frigus, illud cōaguli principium, Scorbuticam quo-que & Melancholicam Hæmorrhagiam exasperare, spicu- lisque & rigidis & acuminatis vasorum impedire coālitum?

ART. VII.

De Victu major est sollicitudo; qui enim falsis, acri- bus calidis, Aromaticis & Piperatis cibis indulgent, bilio- sam Hæmorrhagiam foveant, etiam *παρὰ φύσιν*, & qui antiscorbuticis specioso titulo utuntur naturâ calidiores. Acrem muriaticam & serosam Hæmorrhagiam, falsa, aci- da & aquea provocant. Potus autem, quia imprimis San- guinem inflat & *μετεωρίζει*, in hoc quoque affectu pluri- mum potest, tum qui copiosus est, tum qui calidus, spiri- tuosus, volatilis & malè defæcatus. Multi ingurgitatio il- li apud Forestum lib. XIII. obs. XII, & alteri apud B. Timæ- um à Guldencleè lib. I. Cas. XXXIV. Vini Hispanici potus pe- nè fatalis fuit. Quid deinde corporis Motus, quid concus- sio, cursus, saltus, equitatio, tussis, sternutatio, respira- tio intensa in alvi excretionem, laboribus partus & alijs, effi- ciant, id verò etiam puto cognitissimum esse. Memini ego Parturientem intempestivis conatibus Narium provo- casse Hæmorrhagiam ægrè tandem sopitam. Huc etiam vim referas licet externam quocunque modo illatam. Ani- mi pathemata, si alibi, hic quoque plurimum possunt. De Irâ vulgi experimento probatissimum, eam uti in ca-

put sic in nares quoque Sanguinem evocare. Transiit aliquibus in naturam, ut vexati, quam ultrice manu nequeunt, narium Hæmorrhagiâ injuriam vindicent. Historiam novæ Sartoris, cui, cum ira sanguinem bilemque concitavit, non interiore tunicâ, sed externo Nasi angulo, res mira! Sanguis prorumpit copiosus. Terror, etsi sæpe Hæmorrhagiæ sit remedium, tamen etiam pro conditione corporis, disjecto partium tono, illam excitat. Metus quoque ut fermentationem promovet humorum, sæpe & caligas bile inquinat spumosa, ita & Sanguinem aliquando naribus expellit. A fide digno teste accepi, in Pomeraniæ maritimis Sacerdotem esse, qui, quoties orationis habendæ causâ suggestum cogitat & jamjam ascensurus est, in narium incidat Hæmorrhagiam, quâ non antè liberetur, quàm necessitatis cogitatio contrarium metum solverit. Nunc & de Retentis certum est, si consueta sit V. S. eâ intermissâ in Narium Capillaria impetum converti, Naturæque beneficio Artis segnitiam pensari. Hæmorrhoidum, Mensium, Lochiorum & familiarium excretionum defectus sæpe quoque in Nares redundant, invitante loci ingenio. Quibus & casum, ἀνέμωξιαν Græci vocant, unde unde ortum, velim adnumeres, etiam illud Benedicti Veronensis exemplum perquàm rarum; *Vidimus*, inquit, *ætate nostrâ Venetiis, cum metu plenus Tonsor cuidam in naribus pilos incommodos forcipe incideret, venulam incautè secuit, tantoque impetu sanguis erupit, ut sistendi modum, Medici plurimi non adinvenirent, & ille misere vitam finivit.*

ART. VIII.

Ex quibus constare arbitror, non unam esse Hæmorrhagiæ

rhagiæ speciem, sed uti causa est alia atque alia, ita & speciem variari; quin etiam, ut sanatio rectè instituatur, ad differentias hasce animum advertendum esse; non enim aliunde pomposam illam tot Individuorum supellectilem natam esse, quàm à causarum & accidentium varietate. Alia profectò est, quæ Sanguinis Copiæ tensivæ, alia, quæ Rarefactioni, alia, quæ Propulsioni, alia, quæ Fluori seroso, alia, quæ Acrimoniæ, sive alcalinæ seu acidæ seu muriaticæ, & alijs originem debet. Formâ excretionis & stillandi modo, alia guttata, alia undosa & fluenti instar. Quantitatis etiam respectu magna aut parva est. Est autem supervacua curiositas, si quæris, quibus notis imaginariæ excretiones invicem distinguantur. Magis refert, ut sciatur, Criticane sit an Symptomatica Hæmorrhagia, quarum utraque suis Signis dignoscitur. Primam Criticæ notam esse volunt, ut cum coctionis signis erumpat; si enim ante id fiat, intemperiem illam morbi esse. At sæpe tam subitæ sunt Naturæ vires, ut non expectatâ humorum fermentatione initio se exferat, & parte materiæ morbificæ detractâ, coctionem vel anticipet aut promoveat. Diebus criticis oborta Hæmorrhagia, si cætera respondeant, Critica judicatur. Sed nec hodie ibi, ubi olim tanta dierum criticorum auctoritas, neque hic apud nostros unquam certa ejus rei & perpetua indicia. Soluta nunc legibus Natura, aut, si mavis, intemperantia nostra dierum Criticorum jugum excussisse videtur. *Euφorgia* altera est nota; sed nec statim ea, cum tumultuaria est Crisis & interrupta, apparet. Ita jure non protinus despondendum, ubi ea diutius moratur, quin cogitandum, quâ potissimum arte Naturæ succurras. Requirit etiam, ut largâ sit, non exilis nec paucis guttulis

finita: at sanè, si jam antè constet Criticam esse Hæmor-
 rhagiam, quò minus larga sit, nihil prohibet, aliàs etiam
 quantumvis exilem reprimendam esse puto.

ART. IX.

De Quantitate autem nihil exactè determinari potest,
 magis eam habitus proportionē & circumstantiarum nu-
 mero, quàm aliis signis, moderantibus. Avicennæ regu-
 lam plurimi secuti sunt, qui libris quatuor *Ἐφ' ὅρας* æsti-
 mavit. Ego autem Hippocratis iudicium in hac parte anti-
 quius putaverim, qui lib. I Aph. xxiii, Excreta non copiâ,
 sed qualitate & *Ἐφ' ὅρας* metitus est. Est enim suus Naturæ
 modus & in individuis proprietas; neque tamen, quæ de
 quantitate à nonnullis circumferuntur, si cum corporis pro-
 portione compares, temere fidem inveniant. Amatus Lu-
 sitanus observationes duas memoriæ prodidit, unam vigin-
 ti, alteram duarum & viginti librarum, quæ naribus salvâ vi-
 tâ effluerint. Ego verò, nisi testes laudaret, tum Lacunam
 Galeni Epitomatorem, tum Brassavolam, non magis Ama-
 to, quàm Zacuto, magno ostentatori, crederem. Quæ ta-
 men, ut se habeant, de continuâ Hæmorrhagiâ intelligere
 Natura corporis vetat: Quid enim? cum vix XXV, sum-
 mum XXVIII libræ Sanguinis in corpore habitiore nume-
 rentur; utrùm sustinere corpus jacturam dimidii istius aut
 numeri majoris possit; Forestus, lib. XIII, obs. XIV, me-
 morat Dominum de Benthuylen, intra tres dies duodecim
 libras sanguinis narium Hæmorrhagiâ amisisse; quod ut
 facilis admitto, ita non dubito longè etiam plus per vices
 excerni posse, modò, quòd excretum est, interpositis juscu-
 lis aut Ptisanis reparetur. Princeps Arausionum vulnere
 colli

colli satis periculoso afflictus cum tempore XII librarum
 jacturam fecit, dum interim corpus cibis reficeretur sin-
 gulaque dispendia novæ Sorbitiones pensarent. Atque ideo
 est, cur putemus plurium librarum damnum facile ferri pos-
 se, si alimenta intercedant. Vidimus ante annum intra
 quinque septimanas è vulnere pectoris effluxisse Sanguinis
 & Puris libras triginta sex, post etiam aucto numero; atque
 id, nam quotidie jusculis corpus reficiebatur, sine notabi-
 li virium detrimento. Scripsit Botallus repertos fuisse in
 Galliis, qui uno die, sed per intervalla, X libras Sanguinis V.
 Sectione amiserint, postquam interim Ptisanis jusculisque
 consummatis aut consumtis defectum corpus fovissent;
 multos etiam, qui unâ septimanâ inter juscule alimenta-
 rumque vicissitudines sine ullô ferè virium dispendio XX
 librarum jacturam sustinuerint: quod unâ & continuâ vice
 & abstinentibus haud facile evenisset. At qui existimant quan-
 titatem *Ἐφυσία* determinari, nec antè desistendum, quàm a-
 nimo defecerit æger, minus & illi prudenter judicant, re-
 perias enim, qui animâ, nisi cum vitâ, non priventur, a-
 ios etiam, qui ad periculi suspicionem Lipothymiâ corri-
 piantur. Ut adeò Hippocraticum istud, *μέχρι λειποθυμίας*,
 cum ratione administrari debeat, ubi Naturam Ars æmu-
 lari constituit. Nonnullis, ubi deliquium incidit animi,
 sanguinem statim supprimi, unde unde fluentem, quoti-
 dianum est; et notavit hoc ipsum quoque in Narium Hæ-
 morrhagia memorabili exemplo Lazarus Riverius in Praxi
 suâ, Cap. de Hæmorrhagiâ narium. Sed neque illud indici-
 um semper expectandum, nec, ubi apparet, temere ha-
 bendum.

ART.

ART. X.

Symptomaticam Hæmorrhagiam contraria designant virium imprimis deliquium, morbi ingenium, sanguinis qualitas & fluendi modus, inde & corporis habitus. Sanè quantumvis exiguum sit, quod emittitur, semper tamen noxium, semper cum virium imminutione conjunctum. Si dolor est capitis, tantum abest ut solvatur Hæmorrhagiâ illâ, ut etiam augeatur. Si morbi respicis ideam, Symptomatica est in Malignis & Peste; de hâc verò Diemerbroeckius, quo alter nemo doctius & fidelius de Peste scripsit. *Narium, inquit, Hæmorrhagia die decretorio incidens valde periculosa, non decretorio lethalis erat.* Nempe, ut est effectus fluidi liquati & in totum Alcalisati, ita plerumque signum hoc in Peste obortum ὀλέθριον. In Quartanâ etiam, si diuturna sit & cum Cachexiâ Scorbuticâ conjuncta, quæ eveniunt narium Hæmorrhagiæ, Symptomaticæ sunt; & in quibus nihil utilius, quàm ut statim de sistendâ eâ cogitetur: nam qualitas internecina, etsi levet naturam detracta, verendum tamen, ne continuato fluore & τὸν τῆς partis penitus resolvat, & dilata sanatio præsentiquâque sit gravior. Jam de modo fluendi id quoque symptomaticum, tum imprimis Hippocratis præceptis, creditur, si stillatim prodeat guttisque intervallo discretis, paucisque & numerabilibus: Vulgus etiam alibi superstitiosum est exitiumque numeris metitur. Hic tamen singulare, & notare nostri debent, non per se noxium esse, si stillatim prodeat sanguis, quando &, ubi Crisin molitur Natura, sæpe prohibeatur, ne cum flumine erumpat. Itaque his Signis Crisin æstimant Ægyptii, deficientique Naturæ Scarificatione internæ naris, raro & inaudito auxilio, succurrunt, uti

ti observat Prosper Alpinus lib. III de Medicinâ Ægyptiorum, ap. II. Quin etiam Amatus Lusitanus Hirudinibus id tendendum ratus est. Ut non protinus in suspicionem periculi adduci debeat, ubi stillatim paucisque guttulis sanguis emicat. In modo fluendi hoc quoque advertitur, num ares, quæ sanguine stillant, parti κατ' ἰξιν respondeant; cui circumstantiæ plurimum tribuit Hippocrates, ut est in numeris figurarumque proportionem religiosus; nam si Splen laborat, ex dextrâ nare sanguinem fluere; si Jecur, ex sinistrâ, malum esse; quasi Natura, ubi à lineâ rectâ deviat, quam primò & per se affectare videtur, minus jam integra sit, & à morbo victa rectitudinem, quam aliàs usque servat, relinquat. Vereor tamen, ne hæc subtilitas hominum commento magis quàm Naturæ debeatur. Verùm & ipse habitus corporis, si deterior, facillè monstrat, utrum symptomatica sit Hæmorrhagia an Critica. In Scorbuticis, Melancholicis & Hypochondriacis, nisi aliud accedat, semper suspecta Hæmorrhagia, quod nimiam crasis mutationem indicet.

ART. XI.

Nunc autem, quò melius cura respondeat, consideranda sunt Signa illa, quæ species Hæmorrhagiæ distinguant, ne ducta per tot formulas sanatio moram accipiat. Ergo, quæ à Copiâ sanguinis tensivâ oritur, signa habet lethoræ communia, illius, quæ ad Vasa dicitur. Caput utem præ cæteris partibus dolore gravativo infestatur, immis circa narium radicem, quâ sinus Falcis in acumen excurrunt. Sanguis deinde, qui effluit, copiosus est, & cum refrigit, crassus, filamentosus; nisi Cacochymia, in his

plerumque regionibus scorbuticâ, comitetur. Ubi à Rarefactione nimia Hæmorrhagia excitatur, plerumque febriculosi quid conjungitur, corpus incalescit, dolor capitis paulò est vehementior, etiam ad motum ingravescent; pulsus inde notantur Arteriarum Carotidum: Sanguis, qui excernitur, tenuis est & minus obtinet coaguli, color rubicundior: & cum imminet hic fluxus, præcedit ut plurimum prurigo à salis biliosi & volatilis spiculis, dum nervæam membranam aut vellicant aut distendunt, excitata. Indicat hoc quoque rerum non-Naturalium usus: nam, si quid præcesserit vehemens, quod calorem accendat, sive Potus sit, sive Saltus, seu Venus, seu Thermæ, meritò censetur, Hæmorrhagiam à nimia sanguinis Rarefactione oriri. Vide Historias Hildani Centur. II. Obs. xxvii. & Cent. v. Obs. lxxii. Sin à Propulsione aut Compressivo Sanguinis motu fluxus producit, vis ipsa, quæ paulò ante molesta erat, aut adhuc dum durat, indicio est. At in hoc casu nisi corporis obstet *δυσχεγσία*, Sanguis minimè omnium mutatus prodit Hæmorrhagiam, quæ ab Acrimonia originem habet, varia designant; at species Acrimoniæ suis singulæ notis dignoscuntur. Plerumque autem, quæ Morbum comitantur signa, eadem & Symptoma arguunt. Ubi Alcalina Acrimonia efficit Hæmorrhagiam, est etiam fervor in Sanguine, est in Capite, & qui profluit, sanguis tenuis est atque colliquatus, sed pro causæ vehementiâ plus minus; in Peste enim summum attingit & ferè immedicabilem gradum. Acrimonia Acida doloribus se prodit fixis & lancinantibus, nisi volatilis sit, tum enim per cæterum quoque corpus vagatur: Muriatica salsa, quando in fauces & palatum sanguis destillat, facile sapore discernitur; estque illo casu ut

pluri-

purimum sanguis etiam tenuis, sed aqueus & phlegmaticus, et in Scorbuto. Ubique autem velim symptomata attendantur, quæ morbo sunt propria, exinde enim causæ Hæmorrhagiam excitantis ingenium indubiè cognoscitur.

ART. XII.

Solent etiam Medici, antequam curam aggrediantur, inspicere, num, quem curandum recipiunt fluxum, facilis sit curatu nec ne, Salutaris an Lethalis. De quibus pro ingenio Torbi, Virium patientiâ, Sanguinis Copiâ & Qualitate, decernendum est. Hippocratis in hisce curiositas laudanda est, cui suo more accuratè signa illa recensuit, & ex eo plerique omnes, etiam ubi Regionum diversitas aliud suaderet. Neque tamen adeo hæc signa certa sunt, ut temere iis credi possit; hos enim memini, qui a Lipothymiis & sudoribus frigidis evocati sint ad vitam. De Copiâ jam antè judicavimus iam modum non ponere, siquidem fluxus ille non quantitate, sed *ἁφροσύνη*, sed aliis symptomatis, æstimandus sit. Credendum tamen, etiam ubi vires sufficiunt, quatuor libras, imo & quod intra est, necessitatem medendi imponere. Galenus libro de Præcogn. ad Posthumum in juvene Romano non ante sistendam Hæmorrhagiam duxit, quàm libræ quatuor & dimidia profluxissent. Nempe, quod Criticam esse judicaret, largius fluenti obsistere noluit. Et, ut Critica sit excretio, tamen non nimiam Naturæ indulgendum, sed, ubi ferocius agit nec modum servat, fistula injicienda. Quid quod Sanguis, qui sub affectâ Criticæ fluere incipit justò & copiosius & subitiùs, speciem induat excretionis Symptomaticæ, & medicam manum primò & per se polcat. Notum est Hippocratis illud ex

Aphorismis, τὸ κατὰ πολὺ ἢ ἐξαπίνης κενεῖν, τῇ φύσει πλεμνιον, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές. Et verò, si post maturam operam morbus non remittat, aut provocato denudatario fluxu, aut succenturiato remedio, V. S. Scarificatione, Hirudinibus & aliis, supplere defectum oportet. Id autem potissimum honesto Medico observandum est, ut si deploratus est casus, id quod copia, vires sensim fatiscen- tes & morbi ingenium ostendent, Prognostico se muniat, & quod agit, Pietati magis & Naturæ, sæpe etiam in ultimis efficaci, quàm certæ persuasioni debere videatur. Sanè tam furibundus nonnunquam est Archeus, aut quisquis ille est actionum moderator, ut in unum hoc symptoma velut fatale desinat, contentisq; remediis, aut vi oppositis, in alium specie morbum, sed æque internecinum, degeneret; cujus rei exempla in Peste & Malignis, inde & Cachexiâ Scorbuticâ, manifesta esse puto.

ART. XIII.

Itaque Sanatio ut rectè instituat, ad formale Morbi seu Symptomatis, inde & Causas proximas, applicandus est animus. Primum autem respiciendum, num Hæmorrhagia seu ruptura Capillarium ita à fluido dependeat, ut absq; internâ ejus curatione sistinequeat. Si potest, magnum illum Potionum apparatus spernere impunè licet. Si non potest, tamen etiam externis pugnandum, ut quæ rupturæ, sanguinique jam effluenti, superficiei quasi contactu occurrant; ubi cætera per longas demum ambages exspatiata efficaciam ponant, antequam eò deducantur. Imo cum ruptura ista sit formale Hæmorrhagiæ, utique ei prima & potissima Indicatio debetur, quæ est continui soluti reparatio. Hæc autem
reme-

mediis diversis, & multifariam, peragitur. Alia enim partem ipsam seu Solidum contrahere qualitate frigidâ adstringente, alia Cavum substantiâ sui opplere, alia Sanguinis fluxum compescere fibrosamq; ejus partem coagulare videntur. Inter quæ tutissimum est, quod blando sanguinis coagulo perficitur. Equidem Sanguis in consolidationibus est illud medium, quo continuum instauratur. Sunt in fibroso sanguinis coagulo pelliculæ, quæ lamellatim & laxius sibi inhaerent, cum fluido diluuntur; ex hisce una alteraque, expressa post adstringentium usum humido, arctius sibi invicem & marginibus vulnusculi junguntur cavumque opplent. Atque adeo, si Sanguis tam sit serosus, ut fibrillis istis aut pelliculis careat, certè aut nulla est, aut non tuta sanatio: Quamvis enim subtile corpus reperias, quod obstruere vulnusculi cavum possit, vix tamen adeo accuratè aut fideliter hoc fiet, ut non parte aliquâ hiet, aut si penitus oppleat, cum tempore non decidat, novoque fluxui ansam præbeat, quod in pulveribus terrestribus fixis & in Causticis evenire putamus. Adstringentia autem pro necessitate varia sunt; modò enim facilius, nunc difficilius, vulnusculum contrahitur. Equidem tam crassa debet esse & solida, illa ex sanguine, pellicula, ut ebullienti aut tendenti fluido obsistere possit: itaque satius duco à levibus incipere, donec pertinacia ruturæ aliud postulet, & ipsa Caustica adstringentia.

ART. XIV.

Dividi tamen possunt, quæ Hæmorrhagiam curant Externa, in Emplastica seu glutinantia, in Obstruentia, in Refrigerantia, in Adstringentia, quæ utrumque & solidum & liquidum respiciunt, in Derivantia, Revellentia

aut Evacuantia, & in ea, quæ simpliciter Panniculum contrahunt carnosum, inque nares transmissio consensu vulneris oras, momento quasi & in indivisibili, compellunt quibus si deinde jungas Specifica, vix superesse quod adieci externis possit, puto. Ad Emplastica referri debent Alō (quæ etsi *ἀναστομαλινῇ* vulgò habeatur & sit, exterius tamen nescio quid Balsamici floris in vulnera inspirat: credibile autem est, aliam, ubi resolvitur fermentis nostri & in sanguine, aliam, ubi superficie tenus operatur, ei inesse efficaciam) Thus, Myrrha, Gummi Tragacanth. Arabicum, Juniperinum, Sanguis Draconis, & si quid est quod glutinandi viribus balsamicoque influxu nomen meruit Albumen Ovi est & ipsum lentum, pingue, quodque cum exaruit, glutinis affectet Naturam, Lymphæque animalium, cujus olim pars fuit, pulchrè respondeat. Ad Obstruentia pertinent Pili leporini, Lanugines, Gossypia, Araneorum tela, cujus etiam superficies unguine Balsamico perfusa videtur, inde & Boli, Argillæ, Gypsum, & quæ conferruminandi viribus prædita. Notus est Galeni Pulvis, quem Libro de faciliè parabilibus descripsit. Probatissima verò mihi illa Timæi turunda, à pulveribus enim metuo quicquid peregrini, ex Lanugine Cotoniorum, quæ & ipsa fructus sui blandam adstrictionem ex parte refert, Tragacantho Sanguine Draconis, Bolo Armeno, Lapide Hæmatite, Alōe, Farinā volatili, cum Ovi albumine & Gossypio in solidam figuram redacta. Negare tamen non ausim, cum Aër, qui internæ naris superficiem lambit, glutinationem valde impediat, etiam hunc istorum miscellaneo usu commode arceri.

ART. XV.

Refrigerantia, tum Anacollemata, tum Frontalia, tum
iam quæ aliis partibus, imprimis pudendis, adhibentur
pithemata, liquida, solida, & ebullitionem Sanguinis
miam & fervorem compescunt. Anacollematis & Epi-
ematis Scrotalis apud Forestum, apud Hildanum Fron-
lis, apud Platerum, copiosissimum formularum aucto-
m, omnis generis exempla reperias. Existimem autem
lam sæpe Frigidæ, imprimis Oxycrati, adspersionem
Nucham & collum conducere, nec Crytallo aut Cha-
bi polito, si Narium radici applicentur, suas vires ne-
andas esse, quando insoliti frigoris sensu non spiritus
ntum sed & solida mutationem accipiant, ipsaque se cu-
s passim arctius contrahat. Sanè quòd frigida quæque
sticulis, parti spirituosissimæ, apposita hæmorrhagiam
licius quàm alia sistant, argumento est, mirificum esse
anniculi dicti carnosum cum cæteris partibus consensum,
niusque partis contagium facilè in totum transire. Ac-
edit tamen etiam in illo frigoris sensu Horripilatio, aut
quid terrore simile, quod sanguinis impetuosiores mo-
um protinus repellat aut fluidum coagulet. Certè, si
nquam, hoc casu Terrorem, nisi quid prohibeat, præ-
ens esse remedium arbitror: notum, quàm ille sæpe,
um mulieres invadit menstruantes, excretionem actutum
afflaminet. Laudant etiam ex Animalium familia Rana-
um cadaver, quarum etiam usus internus non fastidi-
ur, probante hoc Poterio. Credo ego ex frigoris per-
uatione remedium enatum cæteris quoque ansam dedisse.
Quid enim Bufo, cujus vulgò venenum exaltationi frigo-
ris ni-

ris nimiae imputatur, annon & ille sub axillis gestatus, si credere fas est, Hæmorrhagiam omnem velut fascino sistit? Quoquoque femoris, dextrum an sinistrum, nescio, nudatis carnibus aridum, si naribus immittatur, æquè feliciter sanare perhibetur. De Carpionum Lapide, quem aliorum Elogio pulveratum Turundâ recipit Hildanus, vulgus ipsum digito manuque complectitur, incerta sunt quæ jactantur. Jaspidis rubicundæ vires tueatur usque Ans. Bôethius, libro de Gemmis, & exemplis confirmet planè portentosis; ne dum tamen est, cur universis & singulis tribuamus, quod ut alterique Lapidi Naturæ quodam privilegio evenisse videtur. Mirum etiam est Matronæ experimentum apud Forestum. Illa cretam albam digito annulari, quâ nari respondet, applicabat felicissimo successu.

ART. XVI.

Latius patet Adstringentium familia transitque per omnia Regna; Primum quidem est in animalium Regno famosissimum illud excrementum Porcinum, inde & Asininum. Illud verò longè usitatissimum & in muliercularum arcanis habitum. Applicatur autem modò recens, dum ab alvo caret, modò siccum & in pulverem redactum. Hildanus quidem Cent. v. Obs. LXXIII. suspectum habet excrementum hujus successum; Verùm ego, cum sciam, nullum usquam esse remedium vel specificum, quod omnibus individuis ex æquo profit, neque Stercori suillo eam prærogativam concesserim; & ut Medicus ille apud Rodericum à Castro semper se pulvere hoc armaverit, tamen non respondere vires ejus in perpetuum certum est. Jam verò plurimum interesse putem, quo tempore Stercus colligatur. Sanè, dum

in efficaciam illam accuratius perpendo, & adstrictionem
 e, cui vis debeatur, non alio tempore colligendum esse
 to, quàm cum glandibus Sus vescitur quercinis. Cum
 tem in recenti vis illa Vitriolata adstringens magis sit in-
 gra, ut odore deprehendunt, qui ejus rei sumere expe-
 nentum, malim ita adhiberi quàm inveteratum. At cum
 cens deficit, illud nempe quod pastui glandium querci-
 rum debetur, nihil impedit, quò minus & siccum usur-
 mus, nam cum fixa sit & terrea Vitriolata adstrictio,
 ud facilè illa intereat. Adeo nec in Pulvere nec Turundâ
 tidiverim ejus usum. Solent tamen nonnulli, quo fætor
 hendetur, alia adjicere, Riverius pulverem Rosarum, Hoe-
 rus senior, laudante Filio, fragmenta Ollæ veteris pul-
 rifata, alii Bolum, & qui Sympathiæ sunt amantes, Sangui-
 mæ gri, qui effluxit. Asinini stercoreis, ubi Suillum non
 peritur, laudes quoque sunt invidendæ; in Hispaniis
 tem frequentior ejus usus quàm Suilli.

ART. XVII.

Inter Vegetabilia, quæ adstringunt, pleraq; vel qualitate
 at ortu Quercum referunt; illa enim est arbor, quæ, quid-
 uid in terrâ est vitriolati adstringentis, tota absorbet; no-
 est ejus Aqua acida & adstringens; nota Scobs ligni, quam
 nam, velut secretissimum remedium, mecum communi-
 avit generosissima Matrona; notus etiam est Muscus il-
 quercinus, de quo mirabilem nuper Historiam prodidit
 odiaacus Gallicus. De Fungo quercino certissimum quo-
 ue est, eum Hæmorrhagiæ utilem esse; illud autem, quod
 e specie quâdam Fungi Quercini, quem Jacobus Breyni-
 s, Herbariorum curiosissimus, titulo Fungi *quercini coria-*
cei ha-

sei hamatodis venditavit, circumfertur, ostento proximum est; nimirum, vel particulam ejus Cordi impositam Hæmorrhagiam, dictum factum, sistere, Vid. Observ. CL. anni quarti Ephemer. Germanic. Fungus aliàs, qui Bauhino dicitur *rotundus orbicularis*, Castori Durantæ & Chirurgis, Lepi crepitus, ob adstringendi illam vim, celebratissimus est, quem ideo præ aliis in Arteriarum quoque vulnere nonnulli deligunt. De Musco Cranii humani ferè præterieram eum quoque commendari elogiis maximis: at ego potiores vires quercino reliquerim: cum in eo Sal volatile cadaverosum, in hoc vitriolata adstrictio sensibus deprehendatur. Satis ergo sit illi Musco, Antepilepticum esse, Quercino eo gloriabitur, quòd Hæmorrhagiam sistat. Habemus deinde alia in Vegetabili Regno mitiora, Plantaginem, Sedum majus, Bursam Pastoris, Equisetam, succum Acaciæ, Hypocistidos, cortices Granatorum, flores Balaustiorum, horum enim usus nonnullis quoque externus est, & ad temperandum misceri acrioribus solent, quin etiam in Fronti Collique Epithematis subinde est aliquis eorum usus. Sanguis Draconis, sive Rubricæ aut Hæmatitide adulteratus, seu purus & arbore emunctus, Vitriolatum quid referre videtur, et si etiam, quâ parte Lacryna est aut Pice corrupta emplastica sit.

ART. XVIII.

Minerali regno præcipue debetur Vitriolum, inde & Croci Martis, Hæmatites, Colcothar, &c. Vitriolum Cypricum hoc casu laudatissimum est, sive crudum seu præparatum. Successit plurimis, quæcunque demum illa sit vis, ut ad objectum Vitrioli pulverem etiam è longinquo Hæmorrhagiam sistat.

hemorrhagiam feliciter sanarent. Aliàs opèrosior in hanc rem
 reparatio est Sympathiæ auctorum, qui solibus exposi-
 ti in Dygbæano exemplo macerant, & vires usque eò au-
 gent, ut etiam in spatium longissimum, nisi laboret Anna-
 m fides, Hæmorrhagiam unde unde fluentem compescat.
 Vitrioli etiam filia est Aqua seu Essencia Styptica, incredibili-
 mum elogio celebrata, nuper lentè deficiens. Hæc è Gal-
 leno ad Anglos speciosâ commendatione manavit; inde in-
 toto cursu ad nostrum quoque Septentrionem se convertit,
 Institorem Hafniâ quoque vidit Dn. Baudet Gallum. Sed
 ulò post de liquore Styptico Librum edidit Martinius qui-
 dem, & nemo non exercitator inventi gloriam Gallo invi-
 re ausus est: utque appareat, quam bona sit ejusmodi
 inter Mortales æmulatio, ad indicium illius arcani plurima
 nim facta experimenta; & cum nonnulli Vitrioli Martis
 solutionem, alii Phlegma Vitrioli, & Aluminis liquorem,
 modo purum nunc aliis permixtum, pro Aquâ Stypticâ
 ambitiosè venditassent, reperti etiam sunt in Italiâ, qui
 eundem Aquâ purâ, Albumine ovi & aliis minoris mo-
 menti, effecisse se contendant. Illud autem singulare in Bau-
 deti experimento, quòd intra paucas horulas, summum
 sanguinem, aliquando etiam dimidiam, idque sine ulla escharâ
 potâ, obductâ tantum molli pellicula, Hæmorrhagiam
 quamvis sistat. In Narium quidem Hæmorrhagiâ linamen-
 tis aut turundis excipitur duciturque ad Arteriolam ruptam,
 sed tamen unicè mirandum, cur Liquoris istius tot nuper
 impensis redempti auctoritas, ut est illud magnarum desti-
 nationum fatum, ex tam facili interciderit. Decantatissi-
 mus aliàs etiam est Aluminis Pulvis Pictorum Laccâ colo-
 ratus, non laudante tantum ejus efficaciam Monconysio

Gallo in Itinerario, verum & Hertodio in Ephem. German. Sed credibile est acrimoniâ Aluminis, imprimis si ustum sit, escharam procurari, quæ, si tamdiu hæreat, donec sanguinis quoque pelliculæ accreverunt, minus est in remedio illo discriminis. Inter Composita Adstringentia valida, aut quæ Cauterii instar potentialis margines corrugant vasculorum, numeraverim tertium Plateri Pulverem, sed providè usurpandum; si enim Acrimonia illa altius inspirata membranam vellicaverit, etiam Sternutationis multum nocituræ periculum augetur. Aliàs huic & illi Indicationi respondet Pulvis Kegleri apud Sennertum, communem Germaniæ Præceptorem.

ART. XIX.

Est deinde inter Externa Chirurghi manus, quæ & ipsi Medicorum commendatione multum potest; nam, si fluxus intercipiendus est, si derivandus aut revellendus, ubique manu opus est. Vidi plus semel Hæmorrhagias sanatas, quæ periculum minabantur, si quis subdito utrisque auribus pollice, medio digito, quâ narium os definit, mollius impresso, & Carotidum & Capillarium Sanguinem represserit. Quantum verò hic manuum aut digitorum præstet opera, Historia docuerit Belgica in vulnere Principis Aurici, quod in collo acceperat; nisi enim præsens Chirurgus impetum exæstuantis fluidi digitis compressisset, actum erat de Principe. Quid quod hic quoque in Jugularis externæ dissectione multum contulisse meminerim Chirurghi manum, velut ex composito vulnere supervenientis, absque quo si fuisset, animam exhalasset vulneratus. Et sanè velim ad animum revocent Naturæ curiosi, illam Botall

lli vocem, libro de Sclopetorum vulnere; *Ratus sum,*
quit, *nil aequè iuvare in Sanguine cohibendo, quocunque in*
vulnere, quàm temperatam assiduamque compressionem manu
etiam, quousque consolidata aut Carne obducta, aut alio
ovis modo obstructa fuerint venarum divisa ora. Nempe
detur pulpa illa digitorum molliùs se applicare Venarum
is, & cum meliore moderamine Sanguinis fluentis impe-
m coërcere, quàm alia quæque. Sunt deinde Ligaturæ
rtium, etiam extremarum, digitorum Pedis Manuum-
e, vulgò quoque, sine consilio Medici, frequentatæ. Res
pe digna spectaculo, videre homines metu periculi in tot
medii genera adactos, ut nulla non pars sit, quæ non
quid medicamini debeat. Ligaturæ primùm tot partium,
ictiones; Jaspidis, Lapidis Carpionum, Cretæ, omnium, ubi
pauca non sistitur, simul complexus; Pudendorum in viris
r repellentia refrigeratio; pendentia de Collo Amuleta,
gnata, non signata; circum collum Oxycrata; ante Fron-
m Epithemata adstringentia; in Ore frigida; in Naribus
urundæ ex Fungo illo orbiculari rotundo; multa etiam
ia, quæ sæpe magis noceant, quàm profint. De Ligatu-
s autem hoc sentio, eas, nisi dolorem excitent, vix quidquam
ficere posse. Derivatio aut Scarificatione aut V. Sectione
eri posset, rariùs fortè quàm par est, admissa: in Fronte
ena secta rapit haud dubiè vicinis ramulis debitum San-
guinem & sufflaminat: sed Revulsio majus possim Elogi-
m meruit, quòd è longinquo & potentius sanguinem
vertat.

ART. XX.

Revulsionis effectus varius est, namque eâ vel Spiritus

tus copiosius in diversam partem attracti dolendi materiam vulnere demunt; aut solidi tædiosâ contractione, sympathicè vulneris quoque oræ compelluntur; aut Sanguinis per eam Orgasmo & Rarefactioni spatii augmento detrahitur & impetus ab affecto Loco avertitur. Primum illud in Ligaturis, in minimi Digiti incurvatione, quam Crato in consiliis probabat, aut animi deliquio, cujus effectum exemplo & Hippocratis auctoritate Riverius laudare videtur, manifestum est. Idem crediderim in Ventosarum applicatione accidere, nisi quod ab illis quoque Cutis & Panniculi subjecti corrugatione vulnuscule oræ sympathiâ quâdam contrahantur: ego semel quoque, cum alia non prodesse, Ventosæ usum in Nuchâ expertus sum optimum. Adnotavit etiam duo ejus rei exempla, in Ephemer. German. Winclerus. Ab Hypochondriorum regione abesse eas vult Riverius per Hildanum admonitus. Forestus uno casu, ubi Ventosæ cæteris locis frustra erant, pedum experimentum reperit singulare. Revulsionis, quâ fluidi copia vel orgasmus avertitur, potissima etiam materia V. Sectio, sed procul à parte celebrata: videtur autem fluxu illo & majore & subitior alter ille confici & velut absorberi. Neque hic, si vires sufficiunt, magnam missionem reformidare oportet; cum deliquium, si quod supervenit, plurimum quoque orgasmo reprimendo conducatur. Prosunt & certis casibus Cucurbitulæ scarificatæ, imo etiam potense est, si Zacuto Lusitano credendum, per Cauteria Revulsio. At ego Derivationem, quæ fit per Vesicatoria, ponere aures prætulim.

ART. XXI.

Postulat tamen sæpe, etiam necessitas, ut Internis subvenia-

niatur. Illa autem talia sint oportet, quæ vel vires faci-
 dissipabiles instaurent, aut Sanguinis reprimant orgas-
 um, aut defectum substantiæ sui compensent. Primo lo-
 sunt Cordialia vulgò dicta, omnibus plerumque reme-
 is miscenda, quæ, ut notissima sunt, ita recensendis iis
 morari nolo. Coägulantia aut Adstringentia, cum Sani-
 tati restituant coagulum, præcipua sunt, quæ indicantur.
 x Herbarum familiâ delectæ aquæ repellentes, acido-
 ustera, Practicorum quoque vulgò adnotatæ. Plurculum
 amen juvant, si Spiritibus Chemicorum acidis animentur;
 laudaverim hic Nitri Spiritum, quod singularem figendi
 abeat. Spiritus Vitrioli elogio Celeb. Wedelii tutus est;
 oc enim uno Hamorrhagiam se percussisse Scorbuticam
 in Ephem. testis est. Nitri quoque aut Salis Prunellæ vi-
 es alienis laudibus commendatas egregio exemplo com-
 probavit Hildanus Cent vi Obs, Lxxvi. Crollius laudat
 Compositum Spurniolæ multis hodieque Practicis usur-
 patum, nec scribere veretur, quod frigiditate Sanguinem
 coäguet. At ego æquis rerum arbitris judicandum relin-
 quo, an solâ Spermatidis Ranarum aqua, etiam toties imbi-
 bita, vincere Camphoræ, Croci, Thuris & Myrrhæ calorem
 possit. Si loco Camphoræ Lapis Prunellæ tribus istis adj-
 ceretur, certiores ego sponderem effectum. Laudat is alibi
 quoque Decoctum Santalorum rubrorum in Vino rubro
 styptico, credo, Signaturâ inductus, sed hic causæ suspicor
 fallaciam. Mynsichti confectio styptica, ut & species dia-
 Martis, nec ipsæ laudibus suis fraudandæ. Præcipitantia
 jam quoque omnibus probata & cum magno elogio; atque
 eo in numero sunt Boli, Terræ sigillatæ, Corallia, Conchæ,
 Oculi Cancris, Hæmatitis, Cinnabaris, &c. nimirum, quod
 sangui-

sanguinis ebullientis impetum pulchrè infringant. Sylvius
 misturam venditat ex Aquâ Plantaginis, Aceto dest. Co-
 ralliis, Sanguine Draconis, Laudano opiato; quâ unâ ma-
 gnas sæpe Hæmorrhagias sufflaminasse eum Famâ increbuit.
 Sed qui Formularum capitur varietate, is Practicos, impri-
 mis Platerum, consulat, & sciat, prout causa diversa est, ita
 & sanationem aliam esse atque aliam, neque etiam calidis
 parcendum esse. Antiscorbuticis curatam fuisse Hæmor-
 rhagiam Ephemerides Germaniæ memoriæ produnt Observ.
 ccxxiii. Anni secundi. Imo nec Specificis, si ita placet, Ur-
 ticæ, cujus apud Borellum invidenda extant elogia, Spicæ
 Nardi, quàm tantopere extollit Riverius, neque aliis, quin
 nec ineptis in speciem exhibitis, abstinendum esse. Verùm
 intus Landræi exemplo apud Hildanum, Sanguini permistum
 humano & in butyro frixum præbere Suis excrementum, e-
 tiam Saccaro, exemplo mirabilis Zacuti, obductum, for-
 didum judico. Damnanda est *νοσος φασία*, ubi alia suppe-
 tunt, nec nisi ex desperatione eò veniendum, à quo Na-
 tura abhorret. Sed jubet necessitas finem imponere, & sepo-
 sitis aliis id unum addere, in rerum non-Naturalium classe
 esse Terrorem, qui aliquando plurimum in curando præ-
 stet; Quiete etiam corporis, quòd in eâ motus musculo-
 rum compressivus sedetur, aliquid effici; imo & Alimentis
 jusculis Vitulinis, certè gelatinosis, ubi alia non juvant,
 jacturam Sanguinis commodè restitui. Legi historiam, a-
 pud Lovverum Anglum an alium? nescio, cum Hæmor-
 rhagia totum ferè corpus exhausisset, frequentibus jusculis,
 donec ejus etiam vestigia Sanguis proderet, & sufflaminatam
 fuisse & vires rediisse. Atque ipsum Gallorum quoque ex-
 perimentis, qui ita tot V. Sectionum deliquia pensare solent,
 mirificè respondet.

F I N I S.